

Concursus mediatus significat Deum remote saltem in actiones creaturarum influere, quatenus nimirum illis eas vires largitus est et conservat, unde ipsae actiones suas eliciunt, quin tamen illas ultra inter agendum efficienter adjuvet.

Concursus immediatus prae se fert influxum realem ex quo Deus ipse agat cum agentibus creaturis, et eos omnes effectus producat seu causa prima, quos ipsae producant seu causae secundae.

Concursus physicus ac **praeivus** ille est quo Deus efficienter et active influit in actionem agentis secundi; *praeivus* est quia praecedat, saltem prioritatem naturae et motus, ac movem causae secundae quacum operatur.

Concursus moralis ille est quo Deus agentem ad actionem suadendo et alliciendo incitat.

Concursus simultaneus. Auxilium quoddam creaturae agenti oblatum, ut ipsa eo utatur ad actionem suam exercendam. Hoc modo duo equi viribus junctis simul currum trahunt.

Providentia. Ordinatio rerum in finem. "Ad providentiae curam duo pertinent, ait S. Thomas, scilicet ratio ordinis, quae dicitur *providentia* et dispositio: et executio ordinis, quae dicitur *gubernatio*."